



122 65

-122

PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
MARTINVS
HASSEN
MORALIVM AC CIVILIVM
PROF. PVBLICVS
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D

AV



Ita nobis diu multumque cognitus est GOTHOFREDVS SVE-
 VVS, ut, siue iuris intelligentiam, seu eius, ad quoslibet rerum ca-
 sus accommodandi, peritiam, siue uoluntatem studiumque nemi-
 ni non, antiqua semper fide, consulendi, spectemus, illum certe
 multis, magnisque, laudibus abundasse, comperiamus. Testis est
 haec ipsa tum doctrinae omnino omnis, tum aequi bonique, sedes
 multo celeberrima, quam iuris interpretandi facultate illustrauit ille,
 testis plurimum, in hac ipsa, consensus collegiorum, quibus tantum iu-
 dicii, quantum scientiae, neque minus religionis, quam laboris, praes-
 titit idem, testis optimus quisque, qui uel consilio uiri, tam pruden-
 tis, est usus, uel, eius prudentiam, officiumque multo paratissimum,
 laudari, cognouit, ab aliis uehementerque comprobari. Sed hominis,
 minime arrogantis, tanta fuit modestia, ut aliorum laudes ne perfer-
 ret quidem, nedum requireret, tanta grauitas, ut omnibus omnium
 ornamentis rerum anteferebat uirtutem, tanta animi sanctitas, ut, nisi
 quod esset pium, Christianique nominis caritati coniunctum, proba-
 ret nihil. Hoc et omni docuit uita demonstrauitque, et iis aperte
 confirmauit literis, quibus ante actae consuetudinem uitae prodidit,
 sese, magna testatus cura, consueisse cum omnem agendi rationem di-
 uinis meriti praeceptis, tum patientiam in primis animique mansue-
 tudinem complecti, adeo, ut, se, commemoret, excitatis aduersario-
 rum odiis, mirifice delectari solitum illo Matthiae Berlichii, uiri, legum
 cognitione clarissimi, familiariter dicto, MALO FERRE INIV-
 RIAS, QVAM INFERRERE. Quae quidem uox quamquam plea-
 na moderationis est et honestatis, tamen alios potius omnes decere
 uidetur, quam iurisconsultos, qui, tamen, pro iustitia sua, iniuriam
 defendere magis, quam inferre, uelint, tamen illatam, pro seueritate
 sua, non debeant negligere, sed reprimere, ne laceffendi nocen-
 dique libido alatur indulgentia, et inueterascat impunitatis spe, la-
 tiusque serpat. Ac male quidem cum multis agitur aliis, qui, uel in-
 scientia legum, uel inopia facultatum, suas persequi iniurias non pos-
 sunt, contra, quam nari iuris alienarum non indigent opem, sed ar-
 mis, quibus improborum contundatur audacia, ipsi sunt instructi, ut,
 a prauis illud contumelioseque haberi, quam iis sese tueri telis, si ma-
 lint, ignaui et leuis animi uitio, famae parum, parumque dignitati,
 seruire uideantur. Ea quidem mente Lacedaemonii Sciraphidam
 quendam, multorum iniuriis appetitum, multasse perhibentur, incusa-
 ta prius hominis ignaui, quae, patienter ferendo, plurimum in sese li-
 cen-

centiam petulantiamque prouocarit. Idem ne fiat, cum subuereantur prudentes, accidit facile, ut ne bonus quidem, sicut ait Afraeus ille uates, iniurias aequo perferat animo, praesertim, cum nemo uelit tam bonus uideri, ut, iniuriis ueteribus neglectis, lenitate sua nouas inuiter. Iram praeterea taceo, quam natura tribuit, ut, eius incitati stimulo, res mature propulsemus istas, quae, nobis oblatae, cum alia nobis inferant mala, tum minuunt existimationem proterueque conuellant. Hoc naturae sensu ducti, homines uim ui repellunt, cumque nemini mortalium iniuriae suae uideantur paruae, usu uenit, ut eas multi, impetu elati, grauius aequo habeant, quem ad modum Sallustianus ille Caesar, explorator indolis humanae sagacissimus, exponit. Quarum rerum omnium tamen nihil ignorabat Suaeus, tamen, altioris animi disciplinam secutus, ducebat satis, iniurias pati, quam uindicare, suaeque hominis, diuinitus edocti, persona ponebat indignum, Attico concedere, qui nullas, ut aiunt, inimicitias gessit, quod neque laedebat quenquam, neque, si quam iniuriam acceperat, malebat ulcisci, quam obliuisci. Sed ille non Pomponii, non aliorum, qui aequos sese ac placabiles praebuissent memorantur, exemplis mouebatur, uerum multo integriora, et sancta, Iosephi, fratribus, male de se meritis, haud irascentis, Dauidis, Semei conuictis sine recusatione ignoscentis, et insigne Achitophelis maleficium experti, aliorum, instituta continebat animo nauiterque uersabat, sicut ipse, de se, statuit, memoriae prodendum. Quenquam, negabat, esse laedendum, ne quis laederetur insons, omni, quoad poterat, consilio providebat, de iniuriis ut satis aliis fieret, operam dabat, ipse uero, laceffitus iniuria, de suo remittere iure laudquaquam dubitabat. Ea quidem re non tam Romani illius, consularisque, sapientis, qui, nihil esse laudabilius, nihil magno et praeclearo uiro dignius, placabilitate atque clementia, praecipit, audiebat uocem, quam ipsum generis humani Seruatorem studebat imitari, qui, aduersarios diligere, unaque cum caritate patientiam colere, tam seuerere iubet, qui, tam indigna, ipsamque mortem contumeliosissimam, perpeffus, nullum iracundiae, nullum odii, signum misit, mansuetudinis autem suae, ipsiusque amoris, insignia utique, ac maxima, nobis testimonia reliquit. Tam mitis placidique hominem ingenii tulit anno, quam salus est redintegrata, ~~MDCLII~~ Vitemberga, et optimis sanctissimisque doctrinis imbuerunt Gothofredus
Sue-

Sueuus, nihilo magis expositi luculenter iuris, quam sanctimoniae, uiuendo demonstratae et agendo, fama clarus, et Anna Dorothea, uiri, studio legum praestantis, Bartholomaei Reufneri, filia, qui, filium nulla re melius, quam pietate, institui, nulla re uerius suam consecrari spem, rectissime iudicarunt. Accessit uirtuti doctrinae copia, cum ille, Ioannis Peifceri, hominis ad ingenia peridonei fingenda, studio cultus formatusque, in patria, Strauchios, Strobergios, Roehrenseos, Schurzfleischios, omnis sapientiae, et Graecarum Latinarumque literarum, doctores habuit nobilissimos, cum, Lipsiam anno proximi saeculi primo et leptuagesimo profectus, rerum gestarum antiquitatisque cognitionem a Francofurtensibus, legum peritiam ab Romanis, haufit, cum, Vitembergam reuertens, Lederis, Zigleris, Martiniis, ducibus, diuini humanique iuris scientiam locupletauit, cum, anno eiusdem saeculi LXXVI, Francofurtum, ad Viadri uadum, progressus, Becmannos, Rhetios, Strycios, audiuit, neque magis comitate moris ac diligentia, quam ipsa iam alios docendi exercitatione, sibi coniunxit. Honos excepit meritum, multis, nec humilibus, perspectum documentis, propterea, quod idem ille, ubi remigravit in patriam, anno superioris saeculi tertio et octogesimo, facultatem laureae, ab Ordine iuridico consequendae, accepit, eaque, triennio post, rite suscepta, tanta iuris interpretandi laude floruit, ut, anno tertio et nonagesimo, illius, publice tradendi, prouinciam obtineret. Hic quanta se uirtute, quantaque industria, in partibus demandatis omnino omnibus, praebuerit uir, non iuris magis, quam iustitiae, consultus, scimus omnes, nec sine illius commendatione recordamur, dolemus tamen simul, cum fuisse tam graui uoletudine saepius affectum, ut sufficere non potuerit laboribus, in amplissimo munere capessendis, Quamuis igitur, anno huius saeculi sexto, commearum acquiescendi a continuatione laborum petierit impetraueritque, tamen, quod nactus erat orti, non ad animi languorem secundiamque, sed ad alios, consilio iuandos, contulit, religionis maxime commentationibus sic deditus, ut iurisconsultus in theologum conuersus uideretur. Exempli, quod maneret latius, intererat, ut tam notae uir probitatis uitam longius produceret, qui tamen cum, quinto Nonas Maias, ad Deum excesserit, et, diutino grauissimoque leuatus morbo, inter coelites gaudio triumphet, nostrum est, hanc ei felicitatem, quam omnes experimus, gratulari, atque, ut eadem, suo quisque tempore, potiamur, optare. Interim commonemus uos cohortamurque, CIVES, ut uiro, cuius uiui probastis aequitatem, mortuo ne desitis, ut, qua decet, frequentia prosequamini funus, a meridie, hora I, ex domo, in foro sita, in Aedem Marianam, pio celebrique ritu, deducendum. P. P. VIII Idus Maias, anno, quam receptus ad gratiam haberi coepit est, 1700 XVIII

78 M 396

ULB Halle

001 514 261

3



SB.

V018



82 65

12

PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

MARTIN
HASSEN

MORALIVM AC CIVIL
PROF. PVBLICVS

CIVIBVS ACADEM
S P D

